

**05**

**A**

**1685**









B. C. D.

27.

DE

# FEUDO FRANCO,

Permissu Superiorum

*PRAESIDE*

CASPARO HEINRICO  Horn/

J. U. D. Fac. Jur. Assessore, & Cur.

Prov. Advoc. Ordinariô

*publicè disputabit,*

GEORGIUS  Gottlieb  Ritter/

Wittemb. Saxo.

*Ad diem XV. Junii MDC LXXXIX.*

H. L. Q. C.

---

WITTENBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI FINCELII.

34.



*Viro Nobilissimo Excellen-  
tissimoque*

Patri optimè merenti ac venerando,

**D. N. CHRISTOPHO.**

**RORITERO,**

**Ucto & Seren. Electoris Saxon.**

**A Confiliis Aul.**

**BENIGNITATIQUE EJUSD. INCREDIBILI**

*Studia hæc Academica*

*consecravit,*

*Dedicavitque meritis summis*

*Wittembergæ IDIBUS JUN. A. S. R. clb lvc LXXXIX*

*Filius obsequentissimus*

**G. G. R.**



*05 A 1685*





**R**edit ad Te, PARENS OPT. dissertatio praesens, quam  
nec Te invito suscepi, nec forte repugnanti sacram vo-  
lo. Redit, inquam. Abs Te enim profectam, cur negem?  
Cui post DEUM vitam debeo, cui honestam educationem,  
cui subsidia vivendi hucusque luculenta: cur non Et stu-  
dia referam in acceptis? Referam certè, Tuo auspicio quo-  
niam sunt gesta: etsi doleo vehementer, hic mihi consisten-  
dum, hic figendum vestigium. Tua quippe beneficia dudum  
excesserunt modum, dudum supergressa numerum omnem  
sunt. Quid ego me vertam? inops Et viribus destitutus, quid  
reddam? vix sperare quidquam ausim, ubi nullus sperandi  
locus; vix promittere, ubi omnia promissis sunt longè ma-  
jora. Nisi Et TU ad commune Pietatis praesidium confu-  
gentem non agrè feres. Hec altis radicibus inhaeret menti.  
Eadem obsequio permista has primitias ingenii TIBI soli  
offerendas suasit, quas propitiis oculis, PARENS VENE-  
RANDE, adspicias, oro quae soq. Equidem alieno nituntur  
labore, sed sinas tantisper testes industriae esse, dum domestico  
specimine brevi commutentur. Ego interea intendam ner-  
vos,



vos, ego toto corpore incumbam in curam, ne saltem ingra-  
tum prorsus filium aut planè indignum Tua beneficiâ in-  
telligas. Quorsum mihi DEUS adsit, cujus clementiam ic-  
circo obtestor. Sed modò is Tibi præstò sit; quid mihi  
deerit, Numinis auxilio PARENTISQUE  
prosperâ salute confiso? Duabus his  
anchoris fultus in portu tuto  
requiescit! VALE.





Q. D. B. V.

I.



*Feudi Franci*, de quo apud Commentatores frequens disputatio est, nullibi in Feudorum Consuetudinibus, si nomen spectes, mentionem fieri constat. *Sonsbeck ad Us. Feud. p. 3. n. 25. Curt. d. Feud. p. 1. q. 8. n. 27.* Restamen ipsa analogiæ Juris Feudalis haud adversatur, quin imò in *c. si cui miles*, verbis: *cum Feudum sic datum est, ut nullum pro eo servitium fiat*, II. F. 104. satis perspicue exhibetur. *Hunn. Tract. Feud. c. 6.*

II. Equidem nos non fugit, hoc capitulum eorum classe esse, quæ vulgo *Extraordinaria* audiunt, quæque *Antonius Mericutus*, eò quod autoritas illorum suo jam tempore dubia esset, *Extravagantes* vocavit. *Maurit. Dec. I. Controv. Feud. pos. ult.* Sed hoc non obstare putamus, quò minus hac in causa allegari possit. Etsi enim hæc Capitula, quando Ordinariis directò contrariantur, parum, vel nihil ponderis habent: testimonium tamen illorum, si vel ad explicationem, Juris Feudalis faciunt, vel casum proponunt alibi non



decisum, ne utiqvam est rejiciendum. *Hartm. Pist. L. 2. qv. 13. n. 89. & L. 2. q. 34. n. 33. Magn. D. Struv. S. J. F. c. 1. aph. 7. n. 10.*

III. Miretur quis forte cum *Jacobo Cujacio de Feud. L. 4. t. 73.* cur non tanta hisce Capitulis, quæ ipse ex *Alvarotto & Ardizone* restituit, autoritas tribuatur, quanta Superioribus Feudorum Libris, cum utraqve moribus Longobardorum originem debeant, utraq; etiam privato tantum ausu sint compilata atqve edita. Sed desinet mirari, si modo cogitet, Feudales Longobardorum Consuetudines nullâ autoritate aliâ niti, quàm quia usus & in scholis & in forô, non contradicente summâ potestate, eas recepit. *D. Struv. c. 1. aph. 7. num. 4.* Cùm itaqve *Extravagantes* istæ Corpori Juris olim non adjectæ atqve sic non omnibus adeo cognitæ pari modo ac reliquas usus non comprobavit, nec etiam eodem robore gaudere possunt. *Conf. Ill. Dom. à Rhez. Comm. in Jus Feud. Proœm. n. 75.*

IV. *Feudum* quid sit? & unde dicatur? disquirere præsens institutum non patitur. Docent id Feudistæ passim. Nobis hæc monuisse sufficiant, eâ significatione *Feudum* h. l. potissimum venire, quâ *Jus in re feudali constitutum denotare solet.* *1. F. 25. §. 1. Rittersh. Partit. Feud. L. 1. c. 3. q. 3. Dn. Struv. c. 11. aph. 2.* Operæ tamen pretium erit *περὶ τῶν Francum* pauca annotare.

V. Vox hæc antiqua est, & gentis nomen, quæ virtutum & rerum gestarum gloriâ orbem terrarum implevit. Sunt qui ab Atticâ Lingvâ, quâ *Francum Nobilem* & fortem significare volunt, nomen hoc deducunt. Sunt etiam qui *Franconi* vel *Franco* Duci cuidam id acceptum ferunt. Alii verò populi hujus nomen non aliunde, quàm à charissimâ ipsis libertate denomina-  
tum



tum esse arbitrantur. Nobis in re, ubi non nisi conjecturis locus, horum sententia, quam ultimo loco recensuimus, non displicet. Neque etiam illorum opinio rejicienda videtur, qui *Francum* quasi *Fry-anck* h. e. *liberum adolescentem*, vel *Fry-inck* h. e. *incolam liberum* dictum esse putant. Hoc certum, in Capitulis Francorum atque aliis antiquis monumentis *Francum* pro libero & ingenuo nomine, *Francitatem* & *Franchisiam* pro libertate, vel prædio libero sumi, atque *Franchire* idem esse ac ingenuū facere, vel immunitatem concedere. Exempla congescit *Car. du Fresne in Gloss. T. II. h. v. p. 522: Conf. Ludolph. à Babenberg. d. J. R. & Imp. C. I. Aventin. H. B. L. 4. C. Barth. Advers. L. 46. c. 1. & L. 53. c. 14. Besold. Thes. Pract. ad auct. L. F. num. 50. Eyben. 2. J. F. c. 3. §. 9.*

VI. Est itaque *Feudum Francum* idem ac *Feudum liberum*, *Frenlehn* / *Frey Ritterlehn* / *Freyguth* / *Vvehn*. *Obs. Pract. h. l.* Sicuti Vasalli Franci alicubi dicuntur *Liberi tenentes Eyben. d. l.* Vocatur etiam *Feudum Francalle*, *honoratum*. *Du Fresne L. c. T. II. p. 411. Honorificum*. *Alvar. in Proæm. Feud. Div. 2.* Neque etiam insolitum est Feuda hæc *bona Salica* appellari teste *Vadriano L. 2. de Coll. & Mon. Veter. Germania ap. Gold. T. III. Rer. Alemann. Conf. ejusd. Vadian. Epist. de obs. Alemann. verbo sign. ap. eund. Gold. T. II. item Saalfreyne Güther* / quæ denominatio sine dubio à *Salis* originem duxit, quò nomine jam olim Francos, si non omnes, partem saltem venisse *Ammianus & Zosimus in Constantio & Juliano* testantur. Cum quibus tamen minimè confundenda sunt ea bona, quæ *Sattelgüther & Sattelfreyne Güter* vocantur. *Conf. Conring. d. O. J. G. c. 7. Ill. D. à Rhez. in J9 Feudal. Com. L. 1. T. 1. §. 2. p. 82. Vvehn. Obs. Pr. hæc voce.*



VII. Sunt qui Feudum *Nobile & Francum* pro uno eodemque habent. *Alvarott. l. c. Du Fresnel. c.* Sed illis assentiri non possumus. Licet enim non negandum sit in Diplomatum, alibi que sæpius *Francum Nobilem* inferre; Licet etiam *Petrus Gregor. L. 3. d. Rep. c. 2. num. 17.* in Galliâ omnes possessiones Nobiles, siue sint Feudales, siue allodiales, *Feuda Franca* dici, hæcque ab ignobili non nisi certâ pecuniâ, quam jus Feudorum Francorum vocant, solutâ possideri posse asserat: Usui tamen Juris Feudalis nostri conveniens non est, ut *Feudum Francum & Feudum Nobile* rem unam significant. Contingere quidem potest, ut Feudum nobile simul sit Francum: Sed & servitiis obnoxium esse poterit. Rursus & Feudum ignobile Francum esse nihil habet absurdi. *Conf. Ros. d. Feud. C. 2. c. 2.*

VIII. Dantur etiam Feuda, quæ dicuntur *Juris Francorum* s. *cum clausula Juris Francorum*, s. *in quæ successio fit secundum mores Francorum*, in quibus primogenitum tantum ad successionem admitti, foeminas tamen non excludi volunt Dd. Sed hæc hujus loci non sunt. *Vid. Tiraq. Tract. de primog. Thom. de Marin. de genere & qual. Feud. t. 13. Rosenth. C. 7. c. 25.* In alio denique sensu Feudum Francum accipit. *Hug. Grotius de J. B. & P. L. 1. c. 3. §. 23.* Sed nec ille huc pertinet.

IX. *Feudum Francum*, de quo nobis sermo, ad hanc fermè sententiam definire solent Dd. quod sit *Feudum improprium ita constitutum, ut Vasallus ab omnibus servitiis sit immunis*, *II. F. 104. arg. l. 90. l. 169. ff. de V. S. Alvar. in proæm. Feud. Div. 2. Zas. d. Feud. p. 8. n. 44. Rosenth. de Feud. P. 1. C. 2. c. 59. Ludov. Syn. J. F. c. 4. p. 78. Vehn. Obs. Pract. verb. Freylehn/Obrecht de Jure Feud. L. 2. c. 6. n. 45. Besold. Thes. L. E. n. 53. aliq.*

X. Sci-



X. Scilicet tria circa Feudum considerare solent  
Dd. *substantialia, naturalia, & accidentalia. Substantialia,*  
l. si mavis, *Essentialia*, ea vocant, quæ ipsam essentiam  
Feudi constituunt, quæ quæcû Feudo nunquam abesse,  
possunt. Quo pertinet, quod Fidem debeat Vasallus  
Domino ob rem in Feudum concessam *II. F. 3. 5. 6. 38.*  
*47.* & quod directum dominium apud Seniore rema-  
neat *II. F. 8. II. F. 23.* Hæc enim si absunt l. immutantur,  
Jus illud, quod constituitur, Feudum dici nequit, sed  
transit in aliam speciem, arg. *l. 36. & l. 80. §. f. ff. d. Contr. emt.*  
*l. 46. Loc. l. 5. §. 1. ff. pres. Verb. Ill. Dn. Rhet. Com. L. 1. T. 1 p. 122.*

XI. *Naturalia* illæ qualitates Feudi dicuntur, quæ  
juris autoritate Feudo constituto inditæ sunt, ita, ut si-  
ve exprimantur, sive omittantur, sub intelligantur ta-  
men tacitè, & comitentur Feudum *I. F. 7. II. F. 2. 50. arg.*  
*l. 11. §. 1. act. emt. vend. Ros. C. 2. c. 53. n. 3.* Huc pertinet  
Juramenti præstatio *II. F. 3.* Masculorum successio *I. F. 8.*  
*§. 2.* Obligatio ad servitia *II. F. 23.* *aliaq;* quæ enumerant  
Feudistæ passim, & in Compendio exhibet *Magnif. D.*  
*Stryck Exam. 7. Feud. c. 3. q. 5.* Possunt tamen hæc om-  
nia pactis inter Dominum & Vasallum initis salvâ  
Feudi essentiâ tolli, l. immutari *I. F. 14. §. 2. II. F. 2. §. pra-*  
*terea II. F. 3. in fin.* Quod quando fit, Feudum vocatur  
improprium, ideò, quia aliqua sui parte à natura com-  
muni Feudorum recedit. Proprium enim id audit,  
quod proprio Jure Feudi censetur. Das eines rechten  
Lehns Eigenschafft hat / *vid. Ludov. Syn. c. 3. D. Struv.*  
*c. 2. Aph. 4. seqq.*

XII. *Accidentalialia* denique dicuntur ea, quæ per  
conventionem Domini, & Vasalli adjecta sunt, quibus  
natura augetur, vel minuitur *I. F. 6. §. quia etiam, II. F. 2. §.*  
*preterea.* Quod si hisce communi Feudorum indoli  
quid



quid detrahitur, Feudum, uti dictum, redditur improprium. Quando verò salva ubique Feudi natura manet, & tantum aliquid additur, quod regulariter Feudo non cohæret, Feudum nihilominus proprium dicendum erit, *II. F. 2. §. Præterea*, ib. ut *Vasallus in festiuis & c. Bocer d. qualit. & Differ. Feud. c. 5. n. 63. Ludov. d. divis. Feud. c. 4. p. 84.*

XIII. Cùm itaque, ut iam dictum, obligatio ad servitia & quidem militaria, indeterminata, quotiescunq; periculum domino imminet, pro conditione tamen Feudi & Consuetudine loci præstanda, ad naturalia Feudi pertineat, ita, ut ea debeantur, etiam si nulla in investitura servitorum facta mentio *I. F. 5. 21. II. F. 12, 23. in f. 55. §. firmiter II. F. 21. II. F. 26. §. beneficium, Ros d. Feud. C. 2. c. 55. & C. 8. c. 4. D. Struv. S. J. F. c. II. §. 4.* facile apparet illud Feudum, quod juxta *2. F. 104.* ita datum, ut nullum pro eo servitium fiat, quodque *Dd. Francum*, atque *liberum* vocant ad impropria referri debere. Non latet nos, docuisse quosdam infeudationem talem, ut ab omni servitio Vasallus liber sit, planè inutilem esse. Sed nituntur falsâ hypothesi quasi servitorum præstatio ad Feudi essentialia pertineret, atque sic nunquam abesse posset. Refutavit jam olim hanc Sententiam *Baldus L. 2. q. 16. d. Rer. Div. Si Dominus*, inquit, *liberat Vasallum ab omni servitio, non propterea feudum extinguitur, quia Vasallus id promeruisse, non demeruisse videtur. Conf. Borcholt. Comm. in Cons. Feud. c. 4. n. 20.* Nihil enim impedit quo minus Dominus vel ad preces Vasalli, vel suâ sponte servitia remittere, & juri pro se introducto ex propriâ Feudi natura renunciare possit. *L. f. C. de Pactis, II. F. 51. in f. Giphon. Ant. J. F. Disp. II. num. 95.* Interim essentialia Feudi, quibus ab aliis juri-  
bus



bus specificè distinguitur, salva manens, atque integra, prout ex sequentibus patebit.

XIV. Quæ hæcenus diximus satis evincunt *Feudum* non statim esse *Francum*, si servitiorum in investitura nulla facta est mentio. Censetur enim tunc res ita in *Feudum* data, ut communis *Feudorum* natura & indoles id requirit, præstandumque erit, quod naturaliter inest, etiam si nihil de eo conventum, *arg. l. ii. §. i. de act. empt. Schneidev. p. 5. n. 91.* Præsumitur etiam *Feudum* potius esse proprium, quam improprium *I. F. 1. §. hoc autem II. F. 2. §. fin. Rosenth. c. 2. c. 54.* Quod nos in tantum verum putamus, ut si *Feudum Francum* apertum ad dominum redeat, istudque Dominus denuò alicui simpliciter concedat, ne utiquam credamus Vasallum novum à servitiis esse immunem. *Feudum* enim per consolidationem penitus extinctum est, & res, quæ olim in *Feudum* dabatur, ad naturam allodii redit, *arg. §. f. 7. de Usufr. I. F. 5. II. F. 37.* Hinc si noviter in *feudum* detur, juxta communem naturam *Feudi* videtur concessa, præsumiturque talis voluntas disponentium, qualis est indoles rei *arg. l. 8. C. d. Evid.* nec etiam statim dici potest, Dominum noviter *Feudorum* naturæ derogasse, suumque jactasse ulterius, *arg. II. F. 2. §. f. l. 25. ff. de probat.* Idem statuendum esse existimamus, licet res ista sæpius in *Feudum Francum* data, nisi fortè alia adhuc concurrant, ex quibus voluntas Domini colligi possit. Dissentiunt *Dd. variè. Conf. Rosenth. de Feud. C. 8. c. 4. God. Anton. Disp. 7. Th. 7. L. a. Dn. Strub. c. XI. §. 4. Schneid. l. c.*

XV. Requiritur ergò ad hoc, ut *Feudum* sit & dicatur *Francum*, ut immunitas à servitiis omnibus expressè sit concessa: quod etiam tunc factum erit, si Do-

B

minus

6109 IVX



minus se *Feudum Francum* aut *liberum dare* dixerit. 2. F. 104. l. 90. l. 169. ff. de V. S. Curtius p. 1. q. 8. n. 27. Rosentb. C. 2. c. 59. *Wurmser. de Feud. impropr. C. L. 3. sect. 9. n. 8.* Formulam investituræ exhibet Schneidvv. *Epit. F. p. 1. n. 54.* Nos ex literis investituræ super Feudo Francô datis hanc observavimus: Wir N. N. bekennen/daß wir unsern lieben getreuen N. N. das Haus N. frey / und zu rechten Mann-Lehn Guth mit Befreyhung aller Dienste / Steuer / und Beschwerden ausserhalb der zweyen Capitanen / die er Jährlich auff Mich. in unser Amt N. auffß Schloß geben soll / gnädigst gereicht / und geliehen / reichen / leihen genanten N. auch solch Haus / zu rechten freyen Mannlehn Guth etc. Hinc licet in Franconia Orientali, multa Feuda Franca dentur, ipsorumque tractuum incolæ, die freyen Francken vulgò dici soleant, non tamen omnia feuda, quæ ibi inveniuntur, statim pro liberis à servitiis haberi possunt, nisi in investituris id expressum *Wehn. Obs. Pr. h. l.*

XVI. Diximus autem illud demum *Feudum Francum* esse, quod ab omnibus servitiis est immune. Quod si enim quædam Servitia remissa sunt, ut in illis bonis, quæ *Sattel freye Güther* dicuntur, fieri solet, de quibus conf. *Ill. D. à Rhez. L. 1. T. 1. p. 82.* *Feudum* dici nequit *Francum*, & Vasallus ad reliqua manet obstrictus, arg. l. 16. ff. d. A. R. D. l. 2. ff. de his quæ intest. del. l. 4. §. 6. de pen. legata. Eodem modò, si certa tantummodo servitia restrictionis *Causa expressa*, *Feudum* propriè haud erit *Francum*, sed *conditionatum*, quod vulgò ein *Festlehn* vocant. *Ros. C. 8. c. 21. Ludvv Syn. c. 4. p. 79.* etiamsi fortè in investituræ literis *Francum* dicatur. Fit enim illud tantum *abusivè*: nec tam ex verbis, quàm re ipsa *judicium ferri* debes. arg. l. 5. C. d. J. & F. J. *Ros. C. 2. c. 59. gl. in c.*

XVII. Porro



XVII. Porro neque illud Feudum proprie Fran-  
cum est, quod ita Vasallo concessum, ut loco servitio-  
rum certus census aut pensio quotannis solvatur. Vo-  
cant id Dd. Feudum *Censuale* s. *Pensionarium* Ros. de F. C. 2.  
C. 63. Dn. Struv. c. 4. aph. 10. Quod si tamen census  
annuus in modico consisteret, v. g. si duo l. tres Capo-  
nes essent dandi, putaremus tali Feudo & nomen, &  
qualitatem Feudi Franci non esse denegandam. Modi-  
ca enim Jura non semper curare solent, l. 9. §. f. de dolo,  
l. 18. §. 2. ff. Commod. l. 35. ff. de Contr. empt. & a potiori  
denominatio est desumenda, prout in vulgus notum.  
Accedit quod Capones isti, non tam census, multo  
minus operarum vel servitiorum nomine pendantur,  
sed ad obsequium & recognitionem dominii, Jurisdi-  
ctionis vel Superioritatis videantur pertinere, quare  
quid de Gallinis illis, quas *Saschnachhünner / und*  
*Rauchhünner* vocant, tradunt Joach. Vadian. de Coll.  
& Mon. Germ. veteribus l. c. & Husan. de hom. propr. c. 6. n.  
63. 64. Coeterum praestationem Caponum & apud Ma-  
jores non infrequentem fuisse inter alia ex Diplomate  
quod ex sec. 13. Lehmann. in Chr. Spir. l. 4. c. 21. adducit &  
Sententia Scabin. Lips. post jus. *Veichbild* sub rubr: *Von*  
*etlichen Lehngüthern Zinstmann Raphane / satis ap-*  
*paret.* Conf. B. D. Ziegl. ad Prax. Calvol. §. *Nobiles Concl.*  
1. n. 182. seqq. Moll. ad Const. 39. p. 2.

XVIII. Ex dictis satis jam constare arbitramur,  
in quo Feudum nostrum Francum à Communi Feudo-  
rum naturam degeneret. Reliqua propriam Feudi ratio-  
nem retinet. Est enim omnibus Feudis impropriis hoc  
commune, ut in omnibus Capitulis in quibus nec di-  
spositione Juris Feudalis (c. g. in Feudo Guardia &  
Gyastaldia, quod juxta dispositionem 2. F. 10. ad here-



des non transeunt, nec pactis hominum expressè quid mutatum, proprii feudi naturam conservent, *z.F. 48. l. 27. ff. de pact. l. 31. C. de Transact. Rosenth. C. 2. c. 54. Ludov. Syn. c. 4. p. 64.* Fallunt ergò & falluntur illi, qui putant, Vasallum Francum ad nihil aliud, nisi quod nominatim in investitura expressum, teneri: quorum sane opinio analogiæ J. F. planè est adversa. *Hamel. de Feud. c. 3. Concl. 8. n. 15.*

XIX. Hinc licet servitia remissa, fidelitas tamen propterea remissa non est, neque etiam salva feudi essentia remitti potuit. Ex quo fluit Vasallum Francum reverentiam & honorem debere Domino, illique non solum non insidiari, sed illum Consilio & taciturnitate juvare, commonere etiam Dominum, si poterit, ne in periculum incidat, verbo, ad omnia esse obstrictum, quæ in formâ fidelitatis *II. F. 6.* enarrantur, servitiis solummodo exceptis *Schneid. p. 1. n. 53. Ros. C. 2. c. 59. Ludov. c. 2. p. 28. Giphon. Ant. 7. Feud. D. 11. n. 97. Fac L. 10. l. 11. C. de op. Libert.* Sicut etiam Dominus in his omnibus vicem fidei suo reddere debet. *II. F. 6. II. F. 33.* Neque etiam ut falsò putat *Rol. à Vall. Conf. 2. n. 134. V. 1.* cum iis, quos sequitur fidelitatis juramentum Vasallo hoc in casu est remissum: Sed & illud præstare, & investituram debito tempore petere tenetur, *II. F. 3. II. F. 24. Rosenth. C. 6. c. 39. n. 4. 5.* Formula tamen jurisjurandi paulò aliter hoc in casu erit formanda, *M. D. Stryck E. 7. F. c. 13. qv. 12.*

XX. Feudalia bona juri collectandi regulariter, haud subjacere constans est Dd. opinio. Natura enim rei feudalis & Contractus inter Seniores & Vasallum initus non patiuntur, ut propter Servitia feudalia jamdum imposita nova invito Vasallo onera imponantur. *Heig. P. 1. q. 18. Carpz. P. 3. C. 28. d. 19. ó πένυ. Dn. Ziegl. de*



de 7. Maj. L. 2. C. 2. §. 51. Opinamur eandem sententiam  
in Feudo Franco, quod præter immunitatem à servitiis  
aliàs indolem Feudorum communem retinet, locum  
quoque invenire, licet nihil eâ de re in investitura di-  
ctum. Neque enim credendum est Seniozem, dum ser-  
vitia, quæ secundum naturam feudi exigere potuisset,  
sciens volensq; remisit, novum onus Fideli imposuisse.  
Sane id quod favore Vasalli constitutum est, contra  
ejus commodum non debet produci l. 25. ff. l. 6. C. de LL.  
præsertim cum onus collectarum gravius ferè hodiè  
esse soleat, quàm præstatio servitorum. Accedit quod  
beneficium Principis, si ab hoc fortè Feudum conces-  
sum, quàm latisimè interpretandum l. 3. ff. de Constit.  
Princ. Favet huic sententiæ textus in Lehrecht c. 74. ibi-  
que Gl. nec displicuit post Oldradum Jacobino d. S. Geor-  
gio de Feud. verb. Promiserunt eidem n. 2. Planè si per  
consuetudinem vel præscriptionem aliud introdu-  
ctum, vel summæ necessitatis casus existat, nec Vasalli  
Franci, nec reliqui Collectis sese subducere poterunt.  
Heig. d. l. Imò etiam Vasallum Francum, si Domino  
gravissimum immineat periculum, de quo ab initio  
verisimiliter cogitatum non fuit, ut huic auxilium  
ferat, adigi posse, non improbabile nobis videtur, arg.  
l. 28. §. f. d. Contr. empt. l. 25. §. 6. Locat. L. 1. C. d. Oper.  
Libert. vid. Ros. C. 8. c. 21. n. 6. Gail. 2. O. 25. 26.

XXI. Pertinet huc quæstio: An Vasallus Francus  
Domino egeno obligatus sit alimenta subministrare?  
Eqvidem Dd. communiter de omni Vasallo id negant,  
eo, quod sub servitiis alimenta non comprehendantur  
vid. Ros. & ab eo all. C. 8. c. 23. n. 9. Nos contrariam sen-  
tentiam cum Ludvvello c. 14. p. 299. & aliis veriore  
esse agnoscimus, arg. 2. F. 6. l. 4. ff. de agn. & al. lib. l. 5. §.



*§. cod. l. 1. C. d. op. Libert. quò ipso tamen non negamus, præstationem alimentorum pro quantitate Feudi moderandam esse, arg. II. F. 54. II. F. 55. §. 1. Sed de Feudo Franco si quærat res in vadò non est. Ille enim, qui de tali Feudo investitus Servitia planè non præstat, qui ergo ad alimenta subministranda, quæ loco servitiorum Dd. hoc casu esse volunt, cogi poterit? De eo quidem fortè nemo dubitabit Vasallo Franco ex naturali illâ obligatione, quâ ad *ἀντιδωρεα*, & gratiam referendam ob beneficium acceptum adstringimur, incumbere, ut Dominum si seipsum exhibere non possit, aliat. Verum cum hæc obligatio, nec naturali, nedum positivâ lege jus quæsitum tribuat ad exigendum id, ad quod alter hoc modo obligatur, adeoque minus plena dici soleat, parum inde Domino erit consultum. Nec enim Vasallum, si pudor & honestas huic cordi non est, ullo modo ex hac obligatione solâ adigere potest, ut sibi subveniat, nec si Vasallus id intermittat Feudo eundem privare. Quod si tamen sententiam liberè dicere nobis integrum est, existimamus, & Vasallum Francum secundum Juris Feudalis Regulas ab hoc onere sese eximere non posse. Etsi enim à servitiis est immunis, tenetur tamen reliquis fidelitatis capitibus, incumbitque & ipsi ut corpus Domini incolume servet, *2. F. 6.* Ast quomodo corpus incolume esse poterit, si fame pereundum? Imò ipse necare dominum videtur, dum alimenta denegat *l. 4. ff. de agn. & alend. liber.* Et quænam quæso gravior necessitas esse potest, quàm si tantum Domino non supersit, unde latranti Stomacho satisfacere, ac corpus tegere possit? Gravisimo autem periculo imminente Vasallum Francum & ad Collectas & ad Servitia esse obstrictum paulo antea est dictum. Conf. *M. D. Struv. c. XI. aph. 5. n. 15.**

XXII. P. M.



XXII. P. M. VVehnerus in Obs. Pract. h. l. interesse putat, num prædium liberum sit concessum in Feudum ein Freyhoff zu Lehn/ num verò Jus in feudum liberum zu einen freyen Lehn. Isto in Casu Vasallum solùm à servitiis liberari ait, in aliis Capitulis feudum permanere: hoc autem non solùm ab oneribus, sed & ab aliis Capitulis in investituris non expressis eximi. Sed hæc aut ad peculiarem Franconiæ Consuetudinem trahenda erunt, aut differentiæ ratio vix ulla constabit.

XXIII. Feudum concedere posse omnes, qui liberam suarum rerum administrationem habet *ex II. F. 3.* certum est. *Anton. Disp. II. th. 5.* Quæ regula intuitu Feudi Franci quoad Laicos sine dubio locum habet. Ecclesiasticas personas, si consuetudo permittat res Ecclesiæ in Feudum dare posse *Dd. ad I. F. 1.* communis est opinio. Volunt etiam Prælatum sine Consensu Capituli rem infeudari solitam, si modo expediat, & utile sit Ecclesiæ in Feudum concedere posse. *C. 2. X. de Feud. I. F. 6. Gail. 2. O. ult. Ludvv. c. 5. p. 104.* Non enim opus est, ut in concessione solennitates Canonice adhibeantur, cum infeudatio non primum instituatur, sed quod semel in hunc usum destinatum est, ulterius conferatur in feudum. *Conf. M. D. Struv. c. 5. aph. 9.* Quæ omnia ad Feudum Francum etiam applicari possunt. Quoniam tamen Prælatum, ut volunt, iis conditionibus tantum Vasallum de Feudo investire potest, quibus olim datum novas verò quibus alteratur feudum, jura Ecclesiæ deteriora reddantur, adjicere nequit, *Schneid. p. 3. n. 33.* sequitur exinde Prælatum solum Feudum antea Servitiis obnoxium in Feudum Francum convertere, atque ita concedere haud posse. *Conf. Ludvv. d. l. p. 100.*

XXIV. Si



XXIV. Si Vasallus per triginta annos bonâ fide se Vasallum negaverit, & Servitia Domino exigenti non præstiterit Dominium directum contra dominum præscribere potest, ita ut in posterum feudum tanquam allodium possideat, arg. *II. F. 26. 33. 87. l. 1. 2. C. de long. temp. præscript. quæ pro libertat. Rosenth. C. 6. c. 82. Ludov. c. 8. p. 177. D. Struv. c. 15. aph. 3. num. 5.* Eodem modo dicendum erit, Vasallum qui feudum alias servitiis obnoxium per tantum temporis spatium, quantum ad præscriptionem Jura Feudalia requirunt 30. annos se *II. F. 26. §. 4.* tanquam Feudum Francum bona fide possedit servitiaque interpellatus Domino denegavit, qualiter hanc Feudo suo acquisivisse. Conf. *Gail. 2. Obs. 60. n. 4. Anon. Disp. 7. th. 7. L. g.*

XXV. Fœminis, Clericis aliisque inhabilibus Feuda Franca dari posse extra controversiam est: nam & alia feuda accipere possunt *II. F. 30. 40. 55.* Dominus enim iis qui servire nequeunt, Feudum sciens volensque concedens gratiam ipsis fecisse videtur, ut per Substitutum habilem servitia præstare possint. *Ros. C. 3. c. 4. D. Struv. c. 5. aph. 12.* Aliter tamen res sese habet, si quæstio est de Feudo jam concessio, & de Successione Vasalli, quò casu inhabilis ne utiquequam admittitur: Dominus enim qui Vasallo & Successoribus Feudum concessit de habilibus cogitasse præsumitur *I. F. 1. §. 3. I. F. 8. I. F. 24. II. F. 30. 26. 36. Ludov. c. 9. Dn. Struv. cap. 9. aph. 8.*

XXVI. Utrum verò hæc inhabilium heredum exclusio in Feudo Franco etiam locum inveniat apud Dd. adeò expeditum non est. Nos de fœminis primum videbimus. Ubi quidem illud certum, eò casu quando Feudum concessum, ut Feudum Francum masculinum, als ein freyes Mannlehn / cujus exemplum supra posit.



posit. XV. retulimus, nullo modo succedere foeminas :  
apparet enim tunc satis voluntas Domini sexum se-  
quiorein excludens *Dn. Struv. c. IX. aph. 8. n. 3.* Sed hoc  
quæritur quid tunc juris sit, si Feudum Francum sim-  
pliciter datum, als ein Freylet n / ratione cuius nulla  
servitia præstanda? Sunt qui Foeminas & in hac specie  
Successionis haud esse capaces credunt, quos recenset  
*Borcholt. c. 7. num. 68.* quorumque sententiam ipse &  
*Giphanius A. J. F. D. 5. n. 50.* in puncto juris veriorein esse  
dicunt. Nituntur illi generalitate Regulæ, quæ Foeminas  
â Successione Feudali arceat *I. F. 8. I. F. 1. §. 3.* cui & aliam  
regulam jungunt supra pos. XVIII. â nobis assertant,  
Feudum sc. in uno Capitulo licet â naturâ Feudi rece-  
dat, in reliquis naturam Feudi proprii retinere. Ad-  
dunt & plura, quæ referre non vacat. Nobis verò id  
secus videtur. Quod si enim in rationem cur foeminis  
successio Feudalis denegetur inquiramus, apparet po-  
tissimam adæquatam, atque in Jure Feudali expres-  
sam hanc esse, quod idoneæ ad militiam haud sint, &  
servire nequeant, *II. F. 36.* Cessante itaque in Feudo  
Franco hac ratione, ipsa etiam cessabit dispositio, mu-  
lieres â successione excludens *l. 32. ff. de pact. l. Adigere 6.*  
*ff. de J. Patron. Tiraqv. T. IV. Tr. Cess. Causa Lim. 22. n. 19. §.*  
*22. C. Frantzke. ad D. t. d. LL. n. 45. n. 75.* Imò Dominus  
ipse dum servitia remisit, atque sic impedimentum,  
quod foeminis oberat è medio sustulit, hæc ad succes-  
sionem tacitè admisisse censetur, ad quam & expressè  
sexum sequiorein vocare potuisset *II. F. 33.* Accedit  
Textus satis rotundus, *II. F. 104.* in cuius principio Suc-  
cessio Foeminarum in Feudum Francum perspicuè tra-  
ditur. Nec officit nobis, quod Capitulum inter extra-  
ordinaria referatur: hoc enim nihil impedire, quin hoc

C

in



in casu testimonium trahi posset Posit. II. evicimus. Plurimum negotii facessere videtur Regula à nobis Posit. XVII. tradita. Sed & hic salva res est, constatque Regulæ sua autoritas, si modo sciamus limitationem illam pati in iis, quæ ex pacti appositione per necessariam consequentiam, eliciuntur. *Ros. C. 2. Concl. 54. num. 2.* Objici etiam fortè posset huic sententiæ famosa illa *Salica* Lex sub tit. de *Alodis* 62. juxta quam *de terra Salica in mulierem nulla portio hereditatis transit &c.* Sed quicquid aliàs de illa Lege sit, quam *Hotom. Francog. cap. 10.* non de bonis feudalibus sed allodiis intelligit, alii verò aliter explicant, vid. *Lindebr. Gloss. verb. Salica terra non* videmus quomodo dicta Lex nobis obesse possit, cum hæc controversia non ex *Salicis* LL. Sed Longobardorum Consuetudinibus Feudalibus, & quæ eò pertinent, sit decidenda. Coeterum nostra sententia usque adeò procedit, ut hoc Casu Fœmina cum masculo simul admittatur, *II. F. 104.* Conveniunt nobiscū. *H. Pist. L. 2. q. 34. num. 33. seqq.* & quos ibid. longa serie allegat, *Carpz. P. 3. C. 28. d. 12. Dn. Struv. c. 9. aph. 8. n. 2. & noviss. Illustr. D. à Rhez. C. 7. F. L. 1. T. I. p. III.*

XXVII. Quæ de fœminis hætenus disputata atque asserta etiam intuitu Clericorum, mutorum, surdorum, aliorumque ad Servitia inhabilium vera esse, illosque ad Successionem Feudi Franci admitti debere putamus arg. *I. F. 6. II. F. 36. Curt. Tr. Feud. p. 3. M. 2. n. 27. Ludov. Syn. c. 9. p. 200. Dn. Struv. c. 9. aph. 10. § 8.* In nostris terris, quæ de Clericis diximus, minus dubii habent, cum & hi secundum Const. D. Augusti 28. P. 3. ad Successionem aliorum Feudorum pervenire possint.

XXVIII. Non desunt qui sibi persvadent *Feudum Francum* Vasallum irrequisito Domini Consensu, salvò tamen hujus jure, liberè alienare posse, *Curt. Jun.*



*Jun part. 1. quest. 8. num. 31. part. 4. num. 117. Schneid p. 1. num. 56.* Sed optimo jure alii in contrariam abeunt sententiam. Nam & hoc Casu Vasallus sine consensu Senioris Feudum alienans dominum contemnere videtur *II. F. 24. inf.* atque eo ipso, dum contra dispositionem *c. si duo II. F. 12.* invito Vasallum novum alterius sanguinis obtrudit, ejus conditionem reddit deterio- rem, quod Vasallo neutiqvam licet. *II. F. 8. §. 1.* Hæ rationes cum in feudo proprio alienationem impediunt, *I. F. 13.* causæ nihil videmus, cur in Feudo Franco lo- cum nequeant invenire. *Zaf. p. 12. n. 37. Schrader. L. F. p. 8. c. 1. n. 37. Ros. c. 9. M. I. C. 5. n. 1.* & quos ibi citat. E contra iō neque etiam Domino permissum erit Do- minium *Feudi Franco* directum sine voluntate Vasalli in alium transferre, arg. *II. F. 34. II. F. 6.*

XXIX. Ad eundem modum Dd. inter se dissenti- unt circa hanc quæstionem : Num dispositio testa- mentaria, (quæ alias ratione bonorum feudalium re- gulariter locum non habet. *I. F. 8. II. F. 9. Ros. c. 7. num. 2.*) saltem in *Feudo Franco* sit concessa? Affirmant hoc quæsitum *Curt. p. 1. q. 8. num. 29. B. Schenck c. 1. num. 9. de success. Feud. Schneid. p. 1. num. 55.* ita tamen ut salvum jus Domini manere debere simul velint. Sed nituntur tam in hoc quàm antecedenti Casu falso præsupposi- tō, voluntque Vasallum Francum iis tantum capitibus teneri, quæ in investitura expressa. Diversæ Scholæ au- tores contra sentiunt, existimantque etiam in Feudo Franco dispositionem testamentariam merito cessare. Feudum enim in aliquo si degenerat, non statim de re- liquis idem iudicium ferendum. Et fieret sane fraus Le- gi, si per talem Dispositionem alienatio Feudi alias prohibita Vasallo permitteretur. Paucis: Rationes ob



quas alienationem *Feudi Franci* per actus inter vivos illicitam diximus, nec ultima voluntate interveniente alienationem fieri permittunt. Consentit *Ros. C. 7. c. 2. n. 6. Schrad. p. 7. C. 2. n. 41. Ill. D. à Rhez. C. 7. F. L. 1. t. 8. p. 319.* Sed si piæ Causæ Feudum Francum legatum sit, numne id minimum valebit. Ita quidem nonnulli volunt. cum *Felin. in Rubr. num. 18. de prescript. Vid. Curt. Tr. feud. part. 4. num. 126.* quod tamen nos non quidem odiò piæ causæ, sed ob naturam feudi, quæ piæ causæ ergò non immutatur, valdè dubium esse arbitramur.

XXX. Alia certè ratio est. Subinfeudationis, quæ cum in Feudo propriò locum inveniat, 2. *F. 9. Struv. c. 12. th. 9. num. 3. Ludvvell. c. 15. p. 314.* nulla ratio permittit, cur non Vasallo in *Feudo Franco* in quo plus juris habet, sit concedenda.

XXXI. Illud etiam Dd. quæerunt: num circa divisionem eadem hic obtineant jura, quæ in alio Feudo, quod si modo non regale est, dividi potest. *II. F. 55. §. præterea Dn. Struv. c. 9. aph. 5.* Negavit id *Bald.* in *L. si plures 6. num. 6. C. de Condit. insert.* Sed rectius affirmat *Rosenthal c. 9. m. 1. c. 53. num. 9. Schrad. p. 8. c. 2. n. 39.*

XXXII. De cœtero Feudum Francum ex eadem culpâ, quâ aliud feudum amittitur, exceptâ tantum eâ, quæ in omissione Servitiorum consistit. *Rosenth. C. 2. c. 59. num. 3.* Poterit etiam Vasallus id refutare, si modo non intempestivè fiat arg. *II. F. 38. 14. 19. 9. §. 1. 30. 49.* Nec ullam hac in re inter Feudum Francum & proprium differentiarum rationem possumus excogitare. Nescimus itaque quid sibi velit *Baldus*, quando in *Feudo Franco* Vasallo potestatem feudo renunciandi adimere satagit, c. *cœterum in 8. Col. X. de Jud.* Illa sanè differen-

tia



tiae ratio quam *Curtius* fingit nullius est momenti. Re-  
ferre illam non placet. vid. ipse p. 1. Tr. F. quest. 8.  
num. 30.

XXXIII. Quando de Feudo constituto, vel cir-  
ca causas ab eo dependentes lis est, potestas dicendi  
Jus, ex singulari Juris Feudalis dispositione tribuitur  
pro re nata Domino vel Curiae Domini ex Paribus  
constanti, tam in Causa possessionis, quam Proprie-  
tatis II. F. 16. 22. 27. 39. 55. D. Struv. S. J. F. cap. 16. aph. 4.  
Non desunt tamen qui volunt controversiam super  
Feudo Franco motam in extraneum Judicium deduci  
posse, *Bald. in l. 1. C. si a non Comp. cum & sine consen-  
su Domini alienari possit, arg. l. 110. de R. J.* At verò  
fundamentum hoc jam supra à nobis est eversum: cor-  
ruit ergò omne quod superstruitur. Quà de Causa in-  
tuitu Feudi Franci nihil peculiare hoc passu inveniri  
dicendum. *Conf. Ham. Tr. Feud. C. 3. Conclus. 8. num. 10.*

Atque hæc ferè sunt, quæ circa *Feudum Francum*  
Dd. monere solent. Plura congerere  
instituti ratio haud permisit.

S. D. G.

C 3

Mantissa



# Mantissa Corollariorum

à Respondente adjectorum.

1. Illorum Sententia, qui Vicarios Imperii nostri de Feudis majoribus sive regalibus cognoscere posse, putant, verior nobis videtur.

2. Rex Bohemiæ pro Statu Imp. haberi nequit: Semper tamen interest diætis electionis Imperatoris.

3. Ususfructus accrescit ubi duobus vel pluribus conjunctim est legatus, deficiente altero, si sint re tantum conjuncti, sive re & verbis simul. Inter verbis tantum Conjunctos planè non locum habere jus accrescendi verius est.

4. Servitutes præscribi posse vix habet dubium: At non est extra controversiam, an in iis præscribendis opus sit titulo. Nos negativam verioram credimus.

5. Actio pro Socio non datur ad divisionem rei communis: sed quoties ea petitur, communi dividundo judicium locum habet.

6. Depositarius regulariter tenetur ad culpam latam: istam a. LL. interpretantur, si quis non tantam alienis quantum suis, rebus adhibuerit diligentiam.

7. Depo-



7. Emtor, nisi malit ad Interesse agere, potest actione emti experiri contra venditorem, ut rem venditam tradat præcisè, modo habeat facultatem tradendi. Quæ sententia etiam in praxi recepta.

8. Vicissim Emtor tenetur pretium venditori solvere, in eoqve solvendo dominium in venditorem transferre.

9. Ratihabitio Parentum in nuptiis liberorum non habet vim Consensus ab initio interpositi.

10. Heredi Substitutus in casum, si heres esse non potuerit, non intelligitur substitutus in casum si heres esse noluerit.

11. Legitimos de Jure Feudali in Feudis regulariter non succedere adeò verum existimamus, ut ne quidem in legitimatis per subsequens matrimonium aliud dispositum agnoscamus.

12. Fœmina ad feudum semel admissa per supervenientem masculum non excluditur: Sed per illum semel exclusa, an in perpetuum talis censeatur, controvertunt Dd. Nobis negativa placet.

13. Pactum nudum de Jure Canonico, ne dicamus de Jure Civili, nullam producit actionem.

14. Fieri



14. Fieri potest, ut quis ex uno eodemque facto, uno eodemque tempore commisso & pœnâ & præmio afficiatur.

15. Si quis rem alii obligatam dissimulatâ obligatione, per calliditatem, alii distraxerit, vel permutaverit, vel in solutum dederit, stellionatum committit.

*F I N I S.*





05 A 1685

ULB Halle

3

003 779 157



WOM


6d











C. D. 27.

DE

FRANCO,

Superiorum

ESIDE

HEINRICO Horn/  
Assessore, & Cur.  
c. Ordinariô

disputabit,

Ottlieb Ritter/  
mb. Saxo.

MDC LXXXIX.  
Q. C.

NBERGÆ,  
IANI FINCELII. 34.